



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Antissiodorensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ces suas & illius poterit adimplere.

EPISCOPO ANTISSIODORENSI.

Epist. 273.  
De ordinando  
Abbate. 5.  
Quirici.  
Cap. Tuam in  
Domino. De  
temp. ordinat.

**C**VM in diocesi tua &c. ut supra lib.  
X. epist. LXI.

LEONI TITVLI SANCTÆ  
crucis Presbytero Cardinali.

Epist. 274.  
Confirmatur  
quoddam eorū  
statutum.  
Cap. Ex litte-  
ris. De iurejur.

**T**VAM in Domino diligentiam com-  
mendantes, quam super monasterio  
sancti Quirici reformando dinosceris adhi-  
bere, devotioni tuæ præsentium auctoritate  
mandamus quatinus si non potes eidem  
monasterio de persona idonea melius pro-  
videre, tu monachum illum quem in litte-  
ris tuis de honestate ac industria commen-  
dasti, per quem status ejusdem loci creditur  
reformandus, nullum prorsus habens  
respectum ad petitionem illicitam quam  
quidam laici faciebant, sed ex tuæ duntaxat  
provisionis officio instituas in Abbatem,  
ita videlicet quod ad sacros ordines  
non ascendat, cum instante necessitatis articulo  
possit in Abbatem assumi etiam in  
minoribus ordinibus constitutus, & laici  
memorati non sint consanguinitate vel affi-  
nitate conjuncti monacho memorato, ut  
ex ipsorum petitione debeat contra eum  
aliqua sinistra suspicio suboriri.

VNIVERSIS DOCTORIBVS  
sacrae pagine, Decretorum, & liberalium  
Artium Parisius commorantibus.

Epist. 274.  
Confirmatur  
quoddam eorū  
statutum.  
Cap. Ex litte-  
ris. De iurejur.

**E**X litteris vestrae devotionis accepimus  
quod cum quidam moderni Doctores  
liberalium artium a majorum suorum  
vestigis in tribus præsertim articulis deviant,  
habitu videlicet inhonesto, in  
lectionum & disputationum ordine non  
servato, & pio usu in celebrandis exequis  
decedentium Clericorum jam quasi penitus  
negligenter omisso, vos cupientes vestra  
consulere honestati, octo ex vobis juratos  
ad hoc unanimiter elegistis, ut super  
dictis articulis de prudentum vivorum consilio  
bona fide statuerent quod foret expediens  
& honestum, ad illud in posterum  
observandum vos juramento interposito  
communiter astringendo, excepto duntaxat  
magistro G. qui jurare renuens & formidans  
fidejussoriam pro se tantum obtulit cautionem.  
Fuit insuper ad cautelam a vobis fide  
præstita protinus constitutum ut si quisquam  
magistrorum adversus alios duceret resistendum,  
& primo, secundo, tertiove communitus  
infra triduum universitati parere contemneret  
magistrorum, ex tunc beneficio societatis eorum in

magistralibus privaretur. Et quidem hoc  
ultimum quidam ex vobis simpliciter, quidam  
verò nisi satisfaceret, & nonnulli nisi  
per nos se admittat aliis obtineret, se intellexisse  
fatentur. Cum autem supradictus magister G.  
infra triduum universitati non paruerit requisitus,  
juxta conductum vestrum ex tunc a vobis habitus  
est exclusus: qui cum satisfactioni condignæ se  
postmodum obtulisset, in quatuor vestrum  
juramento interposito compromisit illorum  
dictum pro bono pacis se gratum & ratum  
pariter habiturum. Illi verò usi consilio  
sapientum dictum suum communiter promulgarunt,  
memorato magistro in virtute juramenti  
præstiti prohibentes ne deinceps in licitis  
universitati resisteret magistrorum, & injungentes  
eidem ut tandiu in eo statu persisteret quo tunc  
erat donec per se vel procuratorem suum se  
posse ab aliis magistris admitti per sedem  
apostolicam obtineret, salva in omnibus  
honestate. Unde nobis humiliter supplicastis  
ut eundem magistrum, virum utique providum  
& honestum, qui tamquam obedientiæ filius  
quod sibi prædicti quatuor injunxerunt suscepit  
humiliter & patienter observat, ex benignitate  
apostolica faceremus communioni restitui  
magistrorum. Nos igitur ex præmissis intelligentes  
eidem magistro fuisse mandatum ut tandiu in  
eo statu persisteret quo tunc erat donec  
magistrorum communioni de mandato sedis  
apostolicæ redderetur, & paratus sit super  
præmissis satisfactionem congruam exhibere,  
licet fuerit constitutum ut si quis magistrorum  
adversus alios duceret resistendum, & primo,  
secundo, tertiove communitus infra triduum  
universitati parere contemneret magistrorum,  
ex tunc beneficio societatis eorum in magistralibus  
privaretur, & ob hoc ipse fuit eorum  
communione privatus, quia tamen constitutum  
non fuit ut in perpetuum hujusmodi privatio  
perduraret, & tam juris canonici quam nostri  
moris existat ut is qui propter contumaciam  
communionem privatur, cum satisfactionem  
congruam exhibuerit, restitutionem obtineat,  
universitati vestrae præsentium auctoritate  
mandamus quatinus supradictum magistrum  
statutis vestris humiliter parere curantem  
ad communionis vestrae consortium in  
magistralibus admittatis.

**P**Lerunque contingit quod aliqui contra  
quosdam super aliquibus rebus nostris  
litteris impetratis, illis uti multo